



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

Caput I. Ostenditur in Deo esse plenitudinem scientiæ, quam à Divina
substantia sola ratio humana distinguit, dum illam ad varia comparat
pbjecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER QUARTUS

In quo agitur de altitudine divitiarum sapientiae & scientiae Dei.

De altitudine sapientiae & scientiae Dei.



UOMODO mundi corde ex rebus aspectabilibus, ex incommutabili lumine veritatis, ac tandem prope, & revelata facie Deum videant, superioribus libris declaravimus. Inquirendum nunc est, quomodo Deus universarum creaturarum suarum existentiam, affectiones, motum, vicissitudinem, intimasque percipiat cogitationes. Qua in re nobis videtur jure exclamandum: *O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei!* cum Apostolo ad Romanos xi. 33. est enim abyssus multa, & impenetrabilis Dei scientia. Cum tamen *divitiarum*

thesaurique notetur appellatione, quod ipsa illuminet abscondita tenebrarum, differtas reddat linguas infantium, disponat omnia suaviter, & per eam erumpant fontes, nubesque rore concrecant; cumque ipsa clamitet in plateis, in foribus, in capite turbarum, ut si quis sitit, veniat ad illam, & bibat: humiliter quidem ad ipsam Dei scientiam nobis est accedendum propter abyssi profunditatem, alacri tamen animo ob affluentiam thesauri, & uberrimam copiam divitiarum. Accedamus itaque consecrantes vestigia illius, qui Sap. viii. 9. agebat: *Proposui hanc adducere mibi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædii mei.*

CAPUT I.

Ostenditur in Deo esse plenitudinem scientiae, quam à Divina substantia sola ratio humana distinguit, dum illam ad varia comparat objecta.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Est in Deo omnis plenitudo scientiae.

4. Solvitur objectio.

5. 6. 7. Divina scientia est eadem Dei substantia connotans intelligibilia objecta, ex quorum diversitate varia sortitur nomina.

An in Deo sit plenitudo scientiae.

SCIENTIAE vocabulo non venit hoc loco constans notitia sensuum ope, aut ratiocinio parta, quæ cum menti accedat, illamque perficiat, non debet in summa perfectissimaque substantia Dei cogitari: sed venit perma-

nens absque hesitatione cognitio, cui neque error subesse valeat, nec fluctuatio. Quam cognitionem soli negare audent athei, qui superos terrenarum rerum regimen, curam, prævidentiam & cogitationem habere negant.

Dis

Dis indigna putando, alienaque pacis eorum,

Ut scribit lib. VI. Lucretius. Nos vero qui omnia sapientia Dei regi, & providentia gubernari firmissima fide teneamus, Theologicis de scientia Dei disquisitionibus dare operam constituimus.

I. PROPOSITIO I. Est in Deo omnis plenitudo Scientiæ.

Probatur 1. in Deo omnis plenitudo scientiæ.

Ita Divinæ Scripturæ, Patres, ratio, & Gentium quoque Sapientes demonstrant. Ex scripturis hæc sunt apertissima: 1. Regum. II. 3. *Deus scientiarum Dominus est.* Job. XII. 3. *Apud ipsum est sapientia & fortitudo: ipse habet consilium, & intelligentiam: & XXVIII. 12. Sapientia vero ubi invenitur? Et quis est locus intelligentiæ? . . . Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius.* Psalmo CXXXVIII. 5. *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima & antiqua.* Ethet. XIV. 14. *Domine, qui habes omnem scientiam.* Sap. VII. 15. *Ipsæ sapientiæ dux est, & sapientum emendator.* Plura sunt hujus generis in eodem, & seq. cap. Eccl. XLII. 19. *Cognovit Dominus omnium scientiam.* Ad Rom. XI. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Et ad Colos. II. 3. de Christo, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Idem docent PP. sequenti proposit. laudandi.

2. Probatur ratione.

Ratione probatur propositio: Nemo inveniri potest, qui ignoret Deum esse quo melius cogitari non potest. Ergo nemo inveniri potest, qui ignoret Deum omnia scientem ac sapientissimum esse; cum sapientia præcipua sit rerum perfectio. Deinde quidquid perfectionis reperitur in rebus conditis, eminenter existit in Deo: In Angelis & hominibus à Deo productis reperitur scientia: Ergo scientia modo eminenti, scilicet absque sensu & discursu, reperitur in Deo. Præterea Deus est substantia vivens materia & corpore expers: Vita substantiæ expertis corporali materia est intelligendi facultas: Ergo facultas intelligendi est in Deo; & consequenter scientia, cum in Deo actus & operatio à facultate seu potentia nequeat seungi.

3. Probatur ex Ethnicis.

Fatentur hoc idem Ethnici scriptores. ex Plato in Parmenide, Proclus cap. 21. Jamblicus Segment. I. cap. 15. Simplicius in Epiet. Arrianus qui de hoc argumento egregiam instituit disputationem, Menander qui apud Clem. Alex. lib. 5. Strom. Deum vocat oculum omnia cernentem. Cujus rectæ appellationis indicium quoque est etymologia hujus nominis *Deus*, quod derivatum dixerimus

lib. II. cap. I. à *θεω* quam, *σπεκτο*, cognosco. Pervulgatum quoque est etymon nominis *Daimon*, quo veteres Divos appellant, quasi *δαίμονες*, scientes à themate *δαίω*, *σκο*. Aegyptii denique fingentes auream oculi imaginem in templis appendebant, in symbolum providæ, quæ omnia circumspicit, divinitatis.

Oppones: Hæc omnia nihil efficiunt; non textus Scripturarum, nam hi tribuunt etiam Deo humana membra, poenitentiam, & iram; quæ tamen non sunt in Deo nisi metaphorice: non Patres, quum Augustinus Quæst. 2. ad Simplic. asserat scientiam pertinere ad ea, quæ sensibus corporis experimur: non ratio, quoniam scientia est quidem perfectio, sed per demonstrationem & per causam comparata, quæ duo in Deo locum non habent: Falsum est ergo Deum optimum maximum cuncta cognoscere.

Resp. nego ant. Et ad probationem dico: poenitentiam, iram, & cætera istiusmodi significare animi perturbationem ac motum, sicut & corporalia membra materia extensionem, quæ substantiæ spirituali, & immutabili repugnant, quod affirmari non debet de sapientia: quamvis poenitudo & ira si possint percipi sine hac animi turbatione, miro & ineffabili quodam modo in Deo esse dicantur apud Augustinum. Is ad Simpl. Quæst. 2. negat in Deo scientiam, quæ sensa & intellecta memoria retinemus, quum neque Deus sentiat, neque in eum subrepat mutabilitas longe ab ipsius substantia removenda. Cæterum S. Pater ibi scientiam Dei esse docet *vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis, una atque æterna contemplatione cuncta cernentis.* Porro humana scientia mutabilitatem habet, ac transitus quosdam à cogitatione in cogitationem, cum recolimus, ut cernamus animo quod in ejus contuitu paullo ante non erat; ideoque comparatur demonstratione, & causam agnoscit. Quæ si dempsero de humana scientia, *inquatur mihi utcunque scientia Dei*, ait S. Pater.

PROPOSITIO II. Divina scientia est eadem Dei substantia connotans intelligibilia objecta, ex quorum diversitate varia sortitur nomina unam rem significantia, distinctam vero sola terminorum ratione.

Adstruitur hæc propositio primum Divinis literis, quæ Dei sapientiam qualitem subsistentem describunt sæpenumero, præsertim Prov. VI. 1. 2. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram . . . Ante colles ego parturiebar . . .*

Dei.

Delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore . . . &c. unde rectissime Divini Verbi probatur cum Patre indivisa substantia. Et Sap. VII. 22. sapientia appellatur *Spiritus intelligentia sanctus, unicus, multiplex, subtilis, &c.* Secundo SS. Patrum auctoritate: Augustinus Tract. 99. in Joannem ait: *Ideo non est ista substantia, cui hoc non est esse quod nosse: potest enim esse nec nosse. At illa Divina non potest; quia id quod habet est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud sit illi scientia qua scit, aliud essentia qua est, sed utrumque unum est: nec utrumque dicendum est, quod simpliciter unum est.* Cyrillus lib. xxxi. Thes. *Quum confessione omnium simplex sit, non est aliquid ab eo diversum ipsius cognitio.* Bern. lib. v. de Considerat. cap. 5. *Dicimur amare, & Deus, dicimur nosse, & Deus: sed Deus amat ut charitas, novit ut veritas.* Circumfertur & Synesi sententia in lib. de Insomniis: *Intelligentia est ipsa Dei substantia.* Ratione idem probatur; nam si Deus foret sapiens participatione veritatis, non perfectione substantiae, esset & compositus & mutabilis: Deo compositio & mutabilitas quæque repugnat: Ergo Deus substantialiter sapiens est, non veritatis, ut D. Bernardus loquitur, *participio.*

6. Consequitur ex dictis sapientiae Dei omnia convenire attributa, quæ de natura Divina enunciantur. Quare Sap. VII. dicitur spiritus intelligentiae *Sanctus*, nulla mentis contagione inquinatus; *Unicus & multiplex*, simplicissimus ex parte Dei, & late se per omnia genera rerum diffundens: *certus*, & nulli obnoxius errori; *subtilis*, & cuncta pervadens: *omnibus mobilibus mobilior*, & rebus omnibus motum tribuens ac directionem: *Candor lucis æternæ & speculum sine macula*, absque concretionem terrena, & nube corporei sensus: *omnia potens*, energia &

virtute: *in se permanens*, immutabilitate perpetua: *omnia innovans* multiplici efficientia.

Quæ cum ita sint; varia, quas tradunt Theologi Scientiæ Divinæ partitiones, nos in ordine ad diversa objecta & connotata explicabimus. Ac primo dicenda erit *sapientia*, quatenus pertinet ad scrutationem rerum æternarum, in quibus tanquam in causis etiam mutabiles creaturæ præcontinentur: *Scientia* vero dicitur, prout alia à se Deus contemplatur, & intuetur. Dicitur *speculativa*, quatenus est cognitio objecti non operabilis, ut scientia sui ipsius, rerum possibilem, malorum culpæ: *Practica* e contra, quatenus est cognitio objecti operabilis, ut scientia mundi è nihilo producendi, bonorumque operum Divino auxilio perficiendorum. Distinguunt præterea Theologi Divinam scientiam in *liberam*, & *necessariam*; quarum prima est, quæ pro objecto habet quidquid pendet à libero decreto Dei; & talis est scientia creaturarum existentium: Altera est, quæ omne decretum Dei antecedit, & habet pro objecto creaturas tantum possibilem. Postremo alia est scientia *simplicis intelligentiæ*, alia scientia *visionis*. Scientia *simplicis intelligentiæ* est ea, quæ versatur circa res, quæ non existunt, neque exituræ sunt, ut cognitio rerum possibilem, quæ abstrahunt ab omni *futuritione*, & ab omni existentia. Scientia *visionis* est illa, quæ versatur circa res in aliqua temporis differentia existentes, ut cognitio rerum præsentium, futurarum, præteritarum. Inter scientiam *visionis*, & *simplicis intelligentiæ* statuunt aliqui scientiam futurorum conditionatorum, quæ à nullo dependent efficaci & absoluto decreto: & hæc est celeberrima *Scientia media*, de qua postmodum. Nam hic de scientiæ Dei à Divina substantia indistinctione tractandum erat.

7. Scientia D. ad diversa objecta & connotata explicatur.

CAPUT II.

An aliquid sit, quod scientiam Dei subterfugiat?

SUMMARIUM.

1. 2. Deus se ipsum cognoscit, ac comprehendit.
3. 4. Satisfit objectionibus.
5. Nulla est creatura sive possibilis, sive futura, sive præterita, sive nunc extans, quæ Dei subterfugiat scientiam.
6. 7. 8. Solvuntur objectiones.
9. 10. 11. 12. Neque latent Divinam scientiam futura quolibet contingentia, & conditionata.
13. 14. 15. 16. Refutantur objectiones.
17. Deus intimas cujusvis creaturæ rationalis servatur cogitationes, & quæcunque peccata.
18. 19. 20. Solvuntur objectiones.

R. P. Berti Theol. Tom. I.

Aa

Quæ